



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XLIV. Juvenalis,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

ejus opus in epitomen contraxit Justinus, Antonini Pii temporibus. Paucis ille complexus est gesta Mosis, at ea tamen aliquot fabulis inquinavit, ut fere Auctores illi, & ætate & spatiis locorum à Mose & Judæa discreti, proptereaque Judaicarum rerum fati rudes. Quæcunque tamen affert Trogius, utcunque adulterata, ex Mosæicis tamen adytis depròmta esse liquet. Notabile imprimis est, quod Judæis Sacerdotibus justitiae religione temperata testimonium præbet.

XXXVIII. Herodis & Augusti familiaritate floruit Nicolaus Damascenus, auctor Historiæ universalis: qui cum & Syrus esset, & Herodis Judæorum regis amicus, res profecto Judaicas ignorare non potuit. Ex hac ergo ipsius Historiæ narrationibus suis confirmandis testimonia quædam affert Josephus. Celebratissimum illud est, quo Mosis Judæorum legislatoris libros citat. In eo de Arca Noachi agens, & Armeniæ monte ad quem appulit, vocari ait montem hunc, *Cæcidæ*. Ab Arca ipsa ita dictum vere existimabat Scaliger: naves enim, *Cæcidæ*, appellabantur, cujus vocis originem, vulgo ignorabilem, docuit me Æschyli Scholiastes. Is ad hæc Æschyli verba: *Ἐπέρις ἢ πύργος ἢ πύργος ἢ πύργος*, sic disserit: *ὁ Ἐπέρις ἢ πύργος τὰ κρητὰ ἰσχυροῦσι ἐπέρις, & ἐπανάστει τὰς Cæcidæσι ναυαί, τὰς δὲ τὸν ἑκάστου ἕσπετος, ἢ τὸν ἑστὶ πάλαι περὶ τοῦ, & ἢ τὸν αἰ νῆες Cæcidæ: Xerxes autem mala videlicet omnia appetiit, & attraxit navibus Bavidibus, Bari profectis, quæ Persiæ urbs est, ex qua & naves Bavidæ dicte. A Persis transit ea vox ad Ionas, ut intelligitur ex Corinthi libro de dialectis: hinc ad Græcos & Latinos. Sed hæc obiter.*

XXXIX. Hoc ævo vixisse videtur Ptolemæus Mendesium, qui res Ægyptias tribus libris complexus est. Minime ille quidem Judæorum præeunte Mose exitum ex Ægypto prætermisit, quem ad Amosios regis Ægypti tempus retulit. Verba ipsius representavit Apion, ex Apione Clemens Alexandrinus. Meminerunt eorundem Justinus in Parænesi, Tatianus, Africanus apud Eusebium, & Cyrillus.

XL. Huic subjiciemus Strabonem, virum pretii quantivis, qui de Mose & Judæis summo candore disseruit. Scribit enim profanos Ægyptiorum mores exosum Mosæm, collecta ingenti piorum hominum multitudine concessisse in Judæam, illicque fixis sedibus, & sanctis Dei colendi ritibus institutis, abjectoque potissimum & ejurato idolorum cultu, non tam vi & armis, quam pietate imperium confirmasse: verum in pejus deinde vergentibus Judæorum animis, puram religionem superstitionibus fuisse labefactatam, & quæsitum sanctitate ac integritate vitæ imperium gentem nefariam tyrannide & latrocinii auxisse. Falsa quidem veris nonnulla admiscet, sed viro *φιλολάτῳ*, ac res ab aliis sibi traditas ingenue referenti condonanda.

XLI. Quæ à Ptolemæo Mendeseio acceperat, non retulit modo Apion Grammaticus, sed suo etiam assensu comprobavit, pessime licet erga Judæam gentem affectus, quam & scriptis suis proscidit. Mosæm igitur Judæis Ægyptum fugientibus prævisse fatetur, cum Argis Inachus, Amosis in Ægypto regnaret. Itaque eum in testimonium adducit Justinus, adducunt & Tatianus, & Africanus apud Eusebium. Verba ipsa exhibet Clemens Alexandrinus. Verum longe plura affert Josephus ex libris Grammatici hujus, qui sincerum licet veritatis vas in crustare tentet, Mosis tamen res gestas mirifice confirmat.

XLII. Huc conferendi, Philo Judæus Apionis hujus æqualis, qui eruditissimis lucubrationibus Mosæm illustravit; Flavius Josephus Judaicarum Antiquitatum vernaculus vindex, qui Vespasiani ac Titi præcipue temporibus enituit; & Justus Tiberien- sis Josephi *ὁμῆλιξ* & adversarius, qui Chronicon regum Judæorum scripsit, & à Mose auspiciatus est.

XLIII. Cuinam vero potissimum ætati tribuendi sint Auctores apocryphorum librorum Esdræ, tertii, & quarti; item tertii Machabæorum, incertum est: neque vero hæc est præsentis loci tractatio. Constet modo expressas in iis Mosæici operis notas extare.

XLIV. Arcano Mosis volumine Judaicum jus contineri, atque à Judæis edisci, servari, & metui, scriptum reliquit Juvenalis.

XLV. Columba è Deucalionis arca ad explorandam tempestatem emissæ meminuit Plutarchus. Atque id quidem vel à Mose sumit ipse, vel quod potius existimaverim, ab aliis qui à Mose sumserant. Quanquam ex sacris Libris suos ipsum, & Plotinum, & Numenium, & alios complures, exornasse vult Theodoretus. Quæcunque certe de Typhone narrat in libro De Iside & Osiride, ad Mosæm pertinere, & nos dicemus infra, & alii demonstrarunt: velut cum ait Typhonem asino vectum per dies septem fugisse, & liberis demum Hierosolymum & Judæam genuisse. Quippe legitur in Exodo: *Tulit Moyses uxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum.* Post sex dierum fugam, septimo conquevisse Mosæm fabulantur Trogius & Apion.

peii, & Ju-
stini.

Nicolas Da-
masceni.

Scalig. ad
Fragm.
Æschyl. Pers.
v. 522.

Ptolemæi
Mendesi.
Clem. Strom. 1.
Euf. Præp. libr.
10. cap. 10.
Cyr. in Jul. 1. 1.

Strabonis,
Strab. libr. 16.

Apionis.

Justin. Parænes.
Euf. Præp. libr.
10. cap. 10.
Clem. Strom. 1.
Jof. 1. 2. in. Ap.

Philonis, Jo-
sephi, & Justus
Tiberien-
sis.

Auctorum li-
bri tertii &
quarti Esdræ,
& tertii Ma-
chabæorum.

Juvenalis,
Juven. Sat. 14.

Plutarchi,
Plutarch. libr.
Terr. an aquat.
anim. callid.

Theodoret. De
curand. Græc.
affect. Serm. 2.

Exod. 4. 20.
Justin. 1. 36. c. 2.
Jof. 1. 2. in. Ap.